

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

dignatione Classicorum Præceptorum, quod sub instantes ferias ægrè ferrent, tempus absolvendis lectionibus idoneum sibi eripi. Brunonis Commentaria ab Hawenr. nondum accepi, tametsi semel compellato: Ubi accepero, curabo, ut habeatis. Vale in DOMINO, salutat te familia nostra. Argentorato baptim, semper, quod tua fretus humanitate facio, 7. Septembr. clo 10 LXXI.

Tuus ex animo frater

Johannes Pappus.

LXX.

*Salutem in Christo Jesu. Reverendi & Clarissimi Viri,
Domini & fratres in Christo honorandi*

PERMOTUS & VESTRIS, & D. Superintendentis, Clarissimi Viri, D. Marbachii, precibus & admonitionibus, diligenter, quantum quidem in ista temporis angustia, & meorum negotiorum mole fieri potuit, annotavi, quæ in colloquio cum D. Illyrico habito disputata sunt. Etsi verò ex literis, quæ à vobis transmissæ sunt, animadverto, eum adhuc pertinaciter opinioni semel conceptæ inhærente, spem tamen aliquam concipio, per gratiam DEI futurum, ut in viam redeat. Et non dubito, DEUM hanc potissimum ob causam permisissé, ut in hunc palpabilem & manifestum errorem laberetur, ne posthac leviter errantes tanta acerbitate infectetur, sed de iisdem lucrificiendis magis quam exagitandis cogiter, juxta illud: & tu conversus confirma fratres. Error certe ipsius non est in phrasí aut genere sermonis tantum, sicut ex Colloquio habito intelligere potuistis, sed ~~magis~~ ~~negotiorum~~, quandoquidem acriter contendit: peccatum originis non esse vitium aliquod in Natura, sed ipsam essentiam & substantiam hominis propriissime loquendo esse hoc ipsum peccatum simpliciter, sine omni conditione, quod certe absurdissimum est. Cum autem piatatis sit officium & DEO gratissimus cultus, errantem in viam reducere, id quoque cum summo Ecclesiæ commodo coniunctum erit, si hunc præsertim Virum ab illo tetro & palpabili errore revocemus, qui passim habet quosdam, qui magis illius autoritatem, quam veritatem sequuntur. Ea in parte ut officium fratrum faciat, per Christum oro. Cupio enim, quantum fieri potest, certamina, si non penitus tolli, saltem contrahi & minui. Qua in parte etiam meipsum non audio, qui non ignoro, quomodo ipse Illyricus erga me sit affectus. Sicut ex scheda transmissa intelligere potui. Id quod etiam apud alios fecit, ubi meum nomen misere deformavit. Certe si ipsius aur mea tantum res ageretur, nec cum Ecclesiæ offendiculo coniunctum esset, possem ego illi demonstrare, Welcher unter uns gar nichts / viel oder wenig.

Ccc 3

tauge-

taugt. Condono omnia propter Christum & Ecclesiam, modo in viam redeat, errorem agnoscat & Ecclesiam offendere & perturbare desinat, quod nisi fecerit, necesse erit, aliam rationem cum illo instituere. Est enim ipsius error Manichæa damnata hæresis, quod ipsi in Disputatione demonstratum est. Quod quidem tamen Vestrae pietati & prudentiae committo. Sed consilium meum est, ne desistatis, sed instetis strenue & moneatis severissime, & humanissime, ut hunc errorem abiciat, cuius patronos neminem in toto terrarum orbe habet, quod ego sciam, nisi quos ipse fascinavit. Si quid porro me facere volueritis, significate, jubete, mandate, & invenietis me promptum & paratum. Et cupio ipsi, utcunque de me male merito, omnia humanitatis officia praestare, modo modo se praebat docilem. Dann so wahr Gott lebet / so kan ers nicht defendiren / es ist ein palpabilis error, & omnibus seculis damnata hæresis. Thut was Ihr könnt und mögt/ daß Ihr ein Seel gewinnen/ imò in ipso multas animas, doch lasst euch mit worten nicht bezahlen, Error est, errorem ut fateatur, necesse est. Augustinus Manichæus fuit & agnovit; Cur non ipse fateretur, se hic erasse? Das muß sein/ anderst kan und mag Ihm nicht geholffen werden. Sed de his omnibus coram D. D. Marbachius. Dominus Iesus omnes quam diutissime salvos & incolumes conservet, Amen. Raptum Esslingenæ, XVI. Septembris, 1571.

Vester addicissimus

Jacobus Andreæ.

(Epistola scripta ad Ministerium Argentoratense.)

L X XI.

S. in Domino.

Nuper scripsi per tabellarium Misnensem, tametsi festinanter, neque jam multum dabatur temporis. Sed Dn. Laurentium Ofnerum cum ad vos cogitare intellexisse, nolui eum sine meis apud vos apparere. De mea autem voluntate jam certiores vos esse non dubito, & mea causa solicitos esse scio. Si quid rescribetis, per hunc rectè poteritis, & spero facturos. Cur D. D. Sulcero non scribam, eadem causa est, quæ proximè: colo autem memoriam ejus reverenter, benevolentiam erga me agnosco, officia, quoties erit occasio, prædicabo, gratias agam coram. Heri adventum expectamus cras, aut ad summam perendie. Hodie nuptias celebravit Adamus Folius cum ea, quæ in ædibus D. Sebaldi multos jam annos versatur, & quæ tibi, Philippo, in nuptiis Brunonis obtrudebatur; ita enim mihi narrabas. Nuptiis nemo interest Professorum, aut Præceptorum, sed Barones, quos habemus, omnes.

Qui